

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Joachim Langens Verbesserte und Erleichterte
Lateinische Grammatica**

Lange, Joachim

Halle, 1726

[Verbesserte und erleichterte lateinische Grammatica]

[urn:nbn:de:bsz:31-263836](#)

CA ROLVS Sextus Divina favente clemen-
tiâ eleætus Romanorum Imperator sê-
per Augustus, ac Gefmaniae, Hispania-
rum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae,
Croatiae, Sclavoniae &c. Rex, Archidux Austriae,
Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &
Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus &
notum facimus tenore præsentium universis, quod,
cum Nobis noster & Sacri imperii fidelis dilectus
Henricus Julius Elers humiliter exposuerit; Se Joa-
chimi Langens Grammaticam latinam usui longe
meliori, faciliorique aptatam pro favore & commo-
do Studiosæ Juventutis restaurasse sic, ut illa modi-
cis sumptibus brevi tempore, & labore in cognitio-
nenem Authorum hac duce levi pede venire possit,
quam post decimam sub privilegio Serenissimi Regis
Borussici editionem, nunc denuo suis impensis in
Octavo typo dare, impressamque edere sibi propo-
fuisse, vereri autem, ne invidâ æmulorum fraude,
qui editionem istam dolose imitentur, impendii sui
fructu destituatur, ac propterea demisse supplicave-
rit, ut ipsum contra ejusmodi defraudationem, aut
imitationem privilegio nostro Cæsareo clementissi-
me munire dignaremur; Nos ejusdem precibus
benignè annuerimus, ac proinde omnibus & singulis
Bibliopolis, Typographis, cæterisque omnibus ne-
gotiationem quamdam librariam exercentibus se-
rio, idque sub pena decem marcarum auri puri in-
hibuerimus, prout hisce inhibemus, ne eorum quis-
piam intra octo Annos proximos ab hac die compa-
tandos præfatam Grammaticam sine Impetrantis
hæredumve consensu intra Sacri Romani Imperii,
Regnorumque ac Dominiorum nostrorum hæredi-
tariofum fines in simili vel alio typo, modo vel for-
ma, sive in toto sive in parte mutatisve titulis re-
cudere, vel alio recudendum dare, invehere, ve-
nundare, aut etiam clam vel palam diffringere quo-

vis modo præsumar , hac quidem lege, ut prædictus
Liber tam debito loco approbetur, solitaque censura
apponatur, nec antea vel absque ea ullibi distraha-
tur, quam consueta de eo quinque exemplaria ad
Imperialem nostram Cancellariam Aulicam defe-
rantur , atque in ejusdem fronte privilegium hoc
nostrum (ne quis ignorantiæ prætextu se excusare
posset) exhibeat, quisquis autem mandatum hoc
nostrum non observaverit, is non modo ejusmodi
libris perperam impressis privetur, verum etiam di-
cta pena Fisco nostro imperiali fraudis Vindici pro
uno, & pro altero semisse Parti læsæ exsolvenda
multetur ; Quare mandamus omnibus & singulis
nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque &
Provinciarum nostrarum hæreditiarum subditis,
cujuscunque dignitatis ac Status, ne quempiam
privilegium hoc nostrum Cæsareum temere & im-
pune transgredi ut violare patientur, quin potius
præscripta pena Reos plesti curent ; Harum te-
stimonio Literarum manu nostra subscriptarum &
sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum ; Quæ
dabantur in Civitate nostra Viennæ die vigesima
prima Februarii anno millesimo septingentesimo
vigesimo primo, Regnorum nostrorum Romani
decimo , Hispanicorum decimo octavo , Hungarici
& Bohemici vero pariter decimo.

CAROLVS.

Vt. A. Comes de Schœn-
born. mp.

Ad mandatum Sacr. Cæsar.
Majestatis proprium.

P. W. Georgendiel mp.

Bor-